



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac
subsidium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 2. De Tristitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

diligentissima cura, ita tamen, ut cum exigit ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit.

III. Tertium est, ut bene cognoscat, quam noxius sit amor proprius, omni quidem Homini, sed maximè Religioso, & perfectionis studioso; id quod sequenti discursu sapienter Julius Fatius declarat: Considera, inquit, si ea est conditio boni, ut se diffundat, & propaget; non posse non magnum esse malum, amorem proprium; quippe qui efficit, ut homo illud, quod in alijs cernit, bonum, ad se totum pertrahat, nec de suo vel minimùm quid cum alijs communicet. Quòd si tantò majus aliquod malum est, quantò majori privat bono, erit certè amor proprius malum maximum; privat enim hominem bono, quo majus in hac vita haberi nequit, hoc est, amore DEI.

§. II.

De Tristitia.

I. Est apprehensio disconvenientis in appetitu intellectivo vel volitivo nobis nolentibus evenientis de qua sequentia Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat, quanto per illa perfectionis studio obsit; certè Cassianus toto libro eam persequens concludit, non minori studio curandum esse hunc morbum, quam cæteros, si spirituales agonis certamina cupiamus desudare, utpote que omnem intelligendi & volendi facultatem quasi obturpescit, & obtundit.

III. Alterum est, ut solidum & efficacem sciat modum, pellendi hanc tristitiam, qui quidem in eo potest.

potissimùm consistit, ut omnem ex animo rerum creatarum concupiscentiam extirpantes, in solo DEO lætari assuescamus; nam, ut sapienter advertit. S. Gregorius, qui aut non habita concupiscit, ut habeat; aut adæpta metuit, ne amittat; & dum in adversis prospera, in prosperis formidat adversa, huc, illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. E contrario verò, ut S. Chrysostomus ait, in Domino gaudens, hanc voluptate ex nullo accidente excidere potest. Alia quippe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia. Nec hoc solùm, sed etiam apud nos manentia, nascentem ex alijs rebus tristitiam repellere non possunt.

IV. Tertium est, ut certò sibi persuadeat id, quod S. Chrysostomus iterum sapienter docuit, nullam jacturam fieri per tristitiam & dolorem, reparabilem, nisi quam peccatum affert, atque adedò huic soli eam impendi debere. Hinc S. Leo dicere solitus erat, religiosam tristitiam aut alienum peccatum lugere, aut proprium.

Præter hæc duo impedimenta etiam Concupiscentia & voluntas propria assignari possent; sed de his in p. 1. c. ult. est actum.

